

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Reueredo uiro,D.Georgio Buchholtzero,fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

ꝛcꝛꝛ adhibere: ideo non deseres etiam Ecclesiam.
 Spero Principem, his qui cum iudicio & modestè
 quosdam inutiles ritus, quos in scripto retinuit, ab-
 ijcient, nõ aduersaturum esse. Vbi sunt abolita, non
 restitutum esse opinor: eaq; de re ad quosdam ma-
 gnæ autoritatis viros scripsi, et tibi alias scribam co-
 piosius. nunc enim impediõr oculorũ morbo. Hunc
 scholasticum, qui istic erit hypodiascalus, tibi &
 schole gubernatori commendo. Saluta reuerenter
 meum conterraneum Hieronymum Stauden: mit-
 tam eius liberis, rogatus à Cordato, præceptorem.
 Bene uale, & rescribe. Die 13 Septembris, 1540.

DE CHRISTI VESTITV.

Reuerẽdo uiro, D. Georgio Buchhol-
 tzero, fratri suo charis-
 simo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Cum
 nuper breuius scriberem, non addidi, quæ de ceteris
 uestium figuris aut nominibus addenda erant.
 Toga fuit Romana, & distincta figura ab aliarum
 gentium uestitu: & aiunt Arcadicum fuisse, & exi-
 stimo ab Euandro in Italiam illatum esse. Pallium
 fuit Græcorum & multarum gentium exterior ue-
 stitus: & aliud longum erat, aliud uerò breuis pe-
 nula. *φαιβόλις* fuit seruorum, cursorum, publica-
 norum, &c. uestitus.

Præter

Præter has figuras fuit exterior uestis senatoria, quæ fuit prorsus similis tunicæ honesti sacerdotis, longæ: cum manticis nec angustis, nec laxis, sed mediocribus, ut antiquæ statuæ ostendunt. Et tali ueste usum esse Christum, est consentaneum: quia cuius fuit in municipio Capernaum. Non igitur incessit palliatus, ut Pharisei aut uulgus: sed indutus tunica senatoria, ut honesti homines in municipio Romano.

Latinis nomen stola de muliebri uestitu usurpatum est, quod tantum ostendit textus in Iure: sed in Græca lingua stola est illa longa honestior uirorū tunica. ideo in Euangelio de filio prodigo, fit mentio stole primæ. Et apud Xenophontem Cyaxares mittit Cyro stolam, audituro legatos in uestitu senatorio. Itaque rectè iudico Illustrissimum Principem de ueste Christi existimare, non pallio usum, sed illa honestiore seu senatoria tunica. Scribā aliās plura. Bene uale, Die Laurentij, Anno 1556.

Amico cuidam.

J. Hotickor.

S. D. De etymologia nominis Mariæ, accuratius cogitandum censeo. Etsi autem multi interpretantur amarus dies: tamē hanc etymologiam rectior rem iudico, Miriā seu Mariā doctrix populi. Ideo nomen magis conuenit & sorori Moysi, & matri Christi. Nā mater Christi ubiq; representat Ecclesiam.

t 5 s iam.